

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De aduentu Pauli Emiseni episcopi, Alexandriā, & laude, qua Cyrillus
Ioannis epistolam prosecutus est. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

De aduentu Pauli Emiseni episcopi, Alexandriā,
 & laude, qua Cyrillus Ioannis epistolam prose-
 cutus est. Cap. VI.

E Adé tempestate, cum Paulus episcopus Emisæ, adue-
 tasset Alexandriam, inque ecclesia, concessionem illam,
 quæ illius nomine circunfertur, recitasset, Cyrillus e-
 pistolam Ioannis ad ipsum scriptam laudauit plurimum,
 hæcque scripsit his fere verbis. Lætentur celi & exultet ter-
 ra: diruta est enī interposita materia, & bilis, quæ animos
 vexabat, compressa, & omnis dissensionis materia sublata.
 Quippe seruator noster, Iesus Christus, pacem largitus
 est ecclesijs, & nos ad idem ipsum impulerunt religio-
 siissimi sanctissimique imperatores: qui quidem pa-
 triam & autam pietatem summo studio imitati, rectam
 veramque fidem firmam stabilem in suis ipsorum animis
 retinent, singularique animi cura ac prouisione sanctis
 prospiciunt ecclesijs, vt ipsi per celebrem nominis famam
 in perpetuum duraturam inde consequantur, & suum im-
 perium ad summam gloriam efferant. Quibus dominus
 exercituū larga liberalique manu desert beneficia: largitur
 que præterea, vt non modo hostes profligent, verum etiam
 ab eisdem illustrem semper reportent victoriam. Neque
 enim dominus mentiri poterit, qui dicit: Vix ego, quod
 glorificantes me, glorifico. Atqui cum dominus Paulus,
 frater & collega noster sanctissimus venisset Alexan-
 driam, maxima sane efferebamur lætitia, idque iure o-
 ptimo: præterea, quod ille, vir plane eximus, se medi-
 um interposuit, & grauiores, quam vires ferebant, susce-
 pit in concionando labores, quò tum diaboli superaret
 inuidiam, tum distracta ecclesiæ membra amore copula-
 ret, tum denique ecclesiam nostram pariter ac vestram ad
 mutuam concordiam & pacem reduceret. Ac paulò post
 addit ista. Quod autem contentio in ecclesia subot-
 ta, leuis fuit & leui admmodum de causa suscepta, iam ple-
 nissime psuasum habemus, qd Dñs me us sanctissimus, Pau-
 lus episcopus literas, in quibus sana & syncera fidei eluce-
 bat cōfessio, ad me attulit: easq; affirmauit à tua sanctitate
 & episcopis religiosissimis, qui ibi sunt, compositas esse.

Ee 4 Lite-

EVAGRII HISTORIAE

Literæ quidem ita se habent, & in epistola ista Cyrilli to-
dem verbis inseruntur. De Deipara quidem certe, & quæ
sequuntur. Quas voces adeo piæ cum legimus, vosque
ipsos ita sentire comperiremus (vñus dominus, vna fides,
vnum baptisma) totius vniuersitatis conseruatorem deum
laudibus extulimus, & sumus propterea inter nos animis
admodum lætati, quod vestræ simul & nostræ ecclesiæ par-
tim scripturis diuinitus inspiratis, partim nostrorū sancto-
rum patrum traditione impulsæ, concordem inter ipsas fi-
dem amplectantur. Ista quidem ei qui res id temporis ge-
stas accurate indagare voluerit, erunt facilia ad cognoscendum.

*Quænam impius Nestorius paßum fuisse se literis
suis declaret, & quod tadem lingua vermicibus
erosa, apud Oasim insulam expirauit.*

CAPVT VII.

Nemadmodū autē Nestorius in exilium eiectus sit &
quid postea de illo factū, & quæ vitæ exitum sit cōse-
cutus, & quas pœnas blasphemiarum causa dederit, neu
tiquam ab illis, qui eius res gestas literis prodiderunt, tra-
ditum est: quæ omnia plane intercidissent, fuisse nōque tem-
poris diuturnitate ita deleta obrutaque, vt ne de illis om-
nino vel semel audiri posset, nisi in librum quendam abi-
psio Nestorio editum, in quo istarum rerum continetur
narratio, forte fortuna incidisset. Itaque blasphemiarum parés

Matt. 7. Nestorius, qui non super fundamentum firmè positum, sed
super arenam ædificium extruxerit (quod quidem, vt do-
mini loquitur parabola, cito dissoluitur) ad eos, qui illi cri-
mini dederant, tum quod in consyderate res nouas moli-
tus erat, tum quod imprudenter poposcerat concilium E-
phesi cogi, præter alia nonnulla, quibus suam blasphemiarum
tueri ac defendere volebat, ista præterea scribit, se nimis
ad hoc institutum suscipiendum necessitate compulsum fu-
isse: quippe cum ecclesia distraheretur, & pars Mariam ho-
miniparam, vt ita dicam, pars Deiparam nominandam affir-
marent, ipse equidem, inquit, quo in neutram partem pecca-
rein, vel Christum morti minime obnoxium esse asseuerá-
do, vel in alteram partem inclinando, eum immortalitate,
priuarem,